



Disputatio juridica inauguralis de donationibus

<https://hdl.handle.net/1874/345791>

50.


DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
DONATIONIBUS,
Q U A M,
FAVENTE D E O O P T . M A X .
Ex Auctoritate Magnifici D . Rectoris,
M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiæ Doctoris , & Linguæ Sanctæ in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii ,
NEC NON
Amplissimi Senatus Academicī consensu , & Nobilissime
Facultatis JURIDICÆ Decretō,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
rite ac legitime consequendis ,

Publico Examini submittit
JOACHIM BERNARD FOYERT , Thylâ Geldrus.
A.D. 12. MARTII , horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM ,
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA , Academiæ
Typographi , clc lcc xciv.

Amplissimis, Consultissimisque VIRIS

- D. JOHANNI FOYERT, JCto, & Ordini Equestri
Insulæ Inferioris Bataviæ à Secretis, Patri suo ad ultimum
vitæ halitum colendo,
- D. ANTONIO FOYERT, JCto, ac Curiæ Provin-
cialis Ducatus Gelriæ advocato primo expertissimo, patruo
magno, parentis loco habendo,
- D. GERBRANDO SCHAGHEN, JCto, ac
Reipublicæ Batavo-duranæ Consuli gravissimo, ejusdemque
nomine, inter Illustrissimos & Potentes Provinciæ Trajecti-
næ Ordines deputato, avunculo magno, debitâ reverentiâ
observando,
- D. JOHANNI VAN ECK, JCto, civitatis Arnhe-
miensis Consuli dignissimo, & Curiæ Provincialis Ducatus
Geldriæ ac Zutphaniensis Comitatus, Graphiario, & à Se-
cretis primo, avunculo ad cineres usque colendo
- D. CORNELIO VAN ECK, JCto, primum in Fra-
nekeranâ, nunc in Ultrajectina Academia Professori dignis-
simo, sibi cognatione juncto, & Præceptorî nuncquam non
honorando,

Hanc Disputationem Inauguralem

devoto pectore inscribit

J. B. FOYERT.

Academie

Transecscis Haliæ, die Iulij 1691.

55

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DONATIONIBUS.
CAP. I.



Um animum appellere constituisse ad scribendam progradu Doctoratus, Disputationem, diu anceps dubiusque hæsi, quamnam ex tot præclaris in jure nostro materiis eligerem. Tandem sumpsi mihi materiam explicandam de *Donationibus*, ut fateor, hodiernâ quidem tempestate fere obsoletam, profecto tamen haud vulgarem, nec Academicis exēcutionibus ad nauseam usque detritam. Sed priusquam hanc in arenam plane descendō, primo videbimus a quo verbo derivetur *Donatio*. Dicta ergo est a dono, quasi doni datio. l. 35. §. 1. ff. de mort. cauf. don. & simpliciter prolata complectitur omnem *Donationem*, mortis causa & non mortis causa. l. 67. §. 1. de V. S. l. 7. §. 4. b. t. Definitur *Liberalis*, nullo jure cogente facta, concessio. l. 1. 29. ff. b. t. l. 82. d. R. f. Est autem *Donatio*, quatenus liberalitatis exēcendie gratiā fit, ex jure naturali, & gentium arg. l. 1. ff. b. t. juncta l. 9. iust. & jur. l. 17. §. 3. D. commod. l. 7. d. serv. export. Quatenus vero jus civile eam formavit, novamque ei formam ac effectum tribuit, ex jure civili. l. 35. §. ult. C. b. t. §. 1. Inst. eod. tit. & quatenus traditione confirmata est, modus acquirendi domini ex jure gentium. §. 41. Inst. de R. D.

4 DISPUTATIO JURIDICA

C A P. I I.

Est vel propria, vel improppria. Propria est, quæ fit ex mera liberalitate, ita ut donator donum ad se nuncquam reverti velit. *l. 1. b. t. l. 35. §. 2. D. de mort. caus. dom.* atque hæc donatio absenti, vel ignorantि facta non valet, nisi certior ea de re sit factus, consensumque suum declaraverit donatarius. *l. 10. 19. §. 2. ff. b. t. l. 55. d. ob. & Ad. l. 69. de R. f.* nam nulla Donatio, nulla datio sine acceptatione intelligi potest. Improppria est, quæ non ita ex mera liberalitate, vel ita irrevocabili jure fit, veluti donatio propter nuptias, vel quæ fit ob causam, ut remuneratoria, *l. 1. 19. 27. d. b. t. l. 25. §. 11. d. hered. peti.* vel quæ fit sub modo, cum certa lex donationi adjicitur, veluti dono, ut creditoribus satisfacias. *l. 2. C. de condit. ob. caus.* aut ut donatario alienandi facultas non competit *l. 3. C. de condit. ob. caus.*

C A P. I I I.

Donare possunt omnes qui contrahere, obligari & de bonis suis pro arbitratu disponere queunt. *§. 40. Inst. de R. D. l. 2. C. mand.* ne muliere quidem excepta, quæ sine consensu mariti, donandi facultatem habet *l. 6. C. de revoc. don.* Donatur quoque cuivis non prohibito, & donum accipienti, si sensum ad acceptandum habeat, unde furioso & mente capto donari non potest *§. 8. Inst. de inut. stipul.* ne concubina quidem aut meretrice excepta, quia turpiter quidem facit mulier, quod sit meretrix, sed non turpiter accipit cum sit meretrix, ut ait Ulpianus in *l. 4. §. 3. D. de cond. ob. turp. caus. l. 5. 31. d. b. t.* fallit tamen in militibus, qui donationes concubinis suis factas repetere possunt, hac ratione ne a focariis suis, per fictas adulaciones rebus suis spolientur. *l. 2. C. de donat. inter vir. & ux. Donatio-*

nationes inter virum & uxorem ne valerent jure Romano receptum est, ne conjuges se amore mutuo spoliarent. *l. 1. 2. 31. §. 7. d. don. int. vir. & uxor.* Item donare prohibentur filius familias, licet peculii profectitii administrationem habeat *l. 7. b. t.* nisi ex causa grati animi *l. 25. §. 11. d. hered. perit.* vel nisi donandi facultatem a patre expresse, *l. 7. §. 2. b. t.* vel tacite acceperit *d. l. 7. §. 3. ff. b. t.* pater filio in potestate posito *l. 1. §. 1. pro don. l. 11. C. b. t.* nisi rem mobilem, quæ in peculum castrense transeat, *l. 4. Cfam.erc.* vel aliam ab causam donet, & pater in ea voluntate usque ad mortem perseveraverit, si legitimam non excedat, vel aliter sit actis intimata *l. 25. C. de don. int. vir. & ux.* aut si pater peculium profectitum filio emancipato non adimat. *l. 31. §. 2. ff. b. t.* item donationes a perduellibus factæ ratæ esse non possunt, etiamsi accusati nondum vita deceillerint. *l. 31. §. ult. ff. b. t.* ut nec a Reis aliorum capitalium eriminum factæ valere possunt si (ita enim in *l. 15. ff. b. t.* pro *nsi* cum *Halbandro & Hotomanno* legendum esse puto) condemnatio sequatur, factæ autem ante crimen commissum, siquidem bona fide & non intuitu committendi delicti, valent, *l. 7. infin. ff. de mort. caus. don.* sed factæ ab eo, qui delinquere proposuerat, in fraudem fisci, ut confiscationis bonorum poenam illuderet vel minueret, sequuta condemnatione, nullæ declarantur vel rescinduntur *l. 45. de jur. fisci. l. 16. d. jur. ironatis.* Donationes autem in fraudem esse factas, non ex levioribus conjecturis, sed ex dilucidis probationibus doceri debet. *l. 14. §. 5. qui & a quib. manumis.* Mortis causa donationes & inter virum & uxorem factæ, secuta condemnatione evanescunt, licet ante contractum crimen factæ sint, *l. 7. ff. de don. int. vir. & ux.* quia mortis causa donationes ad exemplum legatorum fere sunt redactæ, *§. 1. inst. de don.* & testamentum per insequentem damnationem rescinditur, *l. 8. §. 1. D. q. restam. fac. poss. l. 6. §. 5. ff. de in just. rupt. irru. fatt. test.*

C A P. I V.

Dixi, quod donationes mortis causa ad exemplum legatorum ferè sint redactæ: nam quamvis in iis conveniant (1) quod sicut legata a vivo testatore revocari possunt, ita etiam hæ donationes pro lubitu expœnitentia r. vocari possint, l. 29. 32. d. mort. caus. don. (2) quod ad exemplum legatorum, dominium rei, mortis causa donatæ, nec ante traditæ, statim a morte donatoris transeat in donatarium l. 2. de publ. in rem. act. (3) quod sicut in omni ultima voluntate, excepto testamento, quinque testes defiderantur, l. ult. §. ult. d. Codic. ita quoque in mortis causa donatione, l. ult. C. de mort. caus. don. (4) quod hæ donationes coram quinque testibus factæ, non subsint insinuacionis legibus, ut nec legata, l. ult. C. de mort. caus. don. (5) quod sicut in legatis legis Falcidiæ ratione uti potes, ita etiam in his donationibus l. 5. C. ad l. Falcid. l. 42. §. 1. ff. de mort. caus. don. (6) quod sicuti legata inter virum, & uxorem sunt rata, ita etiam mortis causa valeant donationes inter virum, & uxorem l. 9. §. 2. l. 10. 11. ff. de don. int. vir. & uxor. Nov. 22. C. 44. (7) quod jus accrescendi inter conjunctos in eandem rem locum habeat, tam in legatis, quam in mortis causa donationibus, l. nnic. §. 11. 14. C. de caduc. toll. §. 8. inst. de legat. In his tamen discrepant: (1) quod in donationibus mortis causa, non donationis, sed mortis tempus intuendum sit, an quis capere possit l. 22. ff. de mort. caus. don. cum in legatis etiam facti testamenti tempus consideretur §. 4. inst. de her. qual. & diff. (2) quod donatio in singulos annos relicta sit una, & ideo ad heredes, mortuo donatario, transeat l. 35. §. 9. d. mort. caus. don. legatum vero tale, primi anni purum sit, sequentium conditionale, si vivat, & ideo mortuo colegatum ad heredem non transeat l. 4. ff. d. annui leg. (3) quod mortis causa donatio non pendeat ad hereditatis aditione, sed sola morte donatarii confirmetur l. 32. ff. de mort. caus. don. l. 5. §. 17. D. de h. q. ut indig. auf. secus quam in legatis

gatis est. (4) quod mortis causa regulariter præsens præsenti donat, l. 3. ff. de mort. caus. don. & legatum præter voluntatem testatoris nihil desideret, ideoque in absentem & ignorantem conferri possit. (5) quod filius fam. permittente patre non possit facere testamentum, & per consequentiam nulli relinquere legata, sed mortis causa volente patre donare possit, l. 25. §. 1. ff. de mort. caus. don.

ICVA P. AVD

DOnatur res quælibet propria, cuius est commercium l. 9 §. ult. b. t. l. 20. de acq. rer. don. etiam aliena, non obstante juris Regula, quæ dictat, quod nemo plus juris in alterum transferre possit, quam ipse habet, quia non facta donantur; sed possessione cum bona fide donatarii res usus capitur, l. 3. ff. pro don. De donatione autem omnium bonorum quæsitus est, an subsistat? Et putamus non solum omnium bonorum, sed & præsentium & futurorum donationem valere, quod probatur per l. 8. C. de revoc. don. l. 35. c. de inoff. don. l. 4. C. de contrab. empti. l. 17 §. 1. ff. q. in fraud. cred. nec movet in contrarium l. 16. §. 1. de jur. patron. quia tantum loquitur de alienatione omnium bonorum liberti, in fraudem patroni facta, vid. tit. ff. nequid. infraud. patron. neque argumentum ex l. 52. §. 9. pro socio & l. 17. C. de pact. a Doctoribus dissentientibus petitum, est tanti ponderis, ut ideo vadimonium deferamus: Nam primo, quod donatione omnium bonorum testamenti factionem impedit, negamus, quia donator non condemnatur in solidum, sed retinet unde sc. exhibeat l. 19. §. 1. ff. d. re judic. l. 6. ff. de pignor. & secundo, quod alienatio, quæ constringit liberam testandi facultatem, sit prohibita, falsum esse puto, vid. Wisselbach ad h. t. th. 11. Præterea quilibet homo præsumitur natura industrius ad acquirendum, ideoque spem habet futuræ acquisitionis, de quo pro lubitu possit disponere ac testari l. 10. C. arbit. tnt. Omnium autem bonorum donatione sim.

simpliciter facta non continebuntur futura l. 7. ff. de aur. arg.
leg. l. 5. de separat. stricti enim juris est donatio. l. 22. ff. b. t.
c. 4. ideoque non extendenda ultra ea, de quibus actum l. 86.
d. leg. 2. quare etiam nemo tam facile resupinus esse præ-
sumitur, ut pecunias suas jactet, indebitaque effundat,
teste Paulo in l. 25. de prob. Donare enim est perdere l. 7.
ff. b. t.

CVA P. AVI.

Donatio autem quingentis solidis major in acta pu-
blica referri debet §. 2. Inst. b. t. alioquin summæ
excedentis respectu, inutilis est Donatio, l. 25. 27. l. 34.
impr. C. b. t. etiamsi jurata sit. l. 5. C. de legib. Nov. 51. in
prefatione, Nisi i. facta sit a Principe. l. 34. C. b. t. vel
2. Principi. Nov. 52. C. 2. aut. 3. Militibus a duce mili-
tum l. 36. §. 1. C. b. t. 4. vel ad redemptionem captivo-
rum. d. l. 36. in pr. 5. aut ad refectionem ædium ruino-
farum. d. l. 36. §. 2. cod. 6. nisi sit remuneratoria, qua-
tenus non excedit merita, quia eatenus non potest vide-
ri temere facta. l. 9. §. ult. ff. b. t. & ideo fraudis præsum-
tio cessat. arg. l. 27. D. b. t. 7. vel mortis causa coram
quinque testibus fiat. l. ult. C. de mort. caus. don. 8. vel
propter nuptias sit facta. Nov. 119. Nov. 127. An donator
insinuationi renuntiare possit, quæslitum est inter Ictos? Et
putant plerique eum renuntiare posse, propter genera-
lem regulam in l. 41. ff. de minor. & l. 46. ff. de pactis
comprehensam, ubi traditur, quod unicuique licet con-
temnere ea, quæ pro se introducta sunt. Sed veriorem
Dissentientium sententiam esse puto, licet memorata Re-
gula id dicter, præsertim cum jus publicum privatorum
pactis mutari nequeat. l. 38. ff. de pact. l. 45. §. 1. d. R. 7
& reipubl. intersit ne quis profusa ac insana liberalitate,
cum ipsius reipub. onere, ad egestatem redigatur.

CAP.

C A P . V I I .

Donare quoque non licet, ita ut Donatio legitimam tollat, vel ut inofficiosa sit. *I. 35. §. 4. 5. & 44. C. de inoff. don.* alioquin revocatur, quoad legitimam (quæ infra scriptis personis per leges est relinquenda) ne pœna sit major delicto. *I. 1. 2. 7. 8. C. de inoff. don.* neque utile per inutile vitietur. *I. 1. §. 5. ff. de verb. obl.* Est autem inofficiosa donatio, quæ contra pietatis officium est facta. *I. 1. 6. C. de inoff. don.* & competit liberis contra immodicam donationem a parentibus factam. *I. 1. 2. 7. C. eod.* datur quoque parentibus, contra donationem a liberis factam *I. 4. C. eod.* non vero fratribus, nisi turpi personæ immodica donatio facta sit. *I. 27. C. d. Inoff. testam.* Cessat hæc querela *I.* Si tantum relictum sit quantum ad legitimam sufficit. *I. 6. C. d. inoff. donat. §. ult. Inst. d. inoff. testam.* *2.* Si heredes defuncti voluntatem agnoverint. *d. I. 6.* *3.* Si alio remedio uti queant *§. 2. Inst. de inoff. test.* veluti si ut donatoris heredes in integrum restitui possint, *I. 4. 6. C. d. inoff. donas. eodem.* & hoc propter odium, quia antiquis temporibus, testamentum, si esset inofficiosum, habebatur quasi ab eo factum, qui tempore facti testamenti, non erat sana mente prædictus, *pr. Inst. eod.* *4.* Si quinquennium elabi passi sint *I. ult. C. de inoff. donat.* Hæc querela non solum locum habet, cum donator testatus, sed etiam cum intestatus deceperit *I. 3. eod.*

C A P . V I I I .

Donatio vera & simplex sua natura irrevocabilis est, ideoque ob quinque tantum ingrati animi causas eam revocari posse, probat *I. ult. C. d. revoc. don. §. 2. Inst. b. t.* Quarum prima est, si donatarius atroces injurias in donatorem effuderit. Quid sit injuria, & quo modo judicanda sit pro qualitate personæ, cui infertur, & per quam, disce ex *tit. Inst.*

inst. & ff. d. injur. 2. Si impias manus donatori intulerit, nisi donatario absit animus lœdendi donatorem *arg. l. 50. ff. loc. cond.* 3. Si gravem jaſturam bonis donatoris procuraverit, niſi ratione officii aliave ex iusta cauſa id fecerit. *l. 5. §. 13. d. bis q. ut indig. anf. l. 6. d. poſtul.* 4. Si vitæ ejus per ſe vel per alium iſidietur, niſi donator crimen hæreſeos, vel perduellionis commiſerit, *arg. Nov. 115. Cap. 3. §. 3.* 5. Si conventiones donationi appoſitas violaverit. An autem gravior aut æque gravis cauſa inter cauſas numeratas adferri poſſit, quæſitum eſt? Ratio dubitandi eſt, quia in *d. l. ult.* ex hiſ tantummodo cauſis revocationem fieri poſſe traditur. Sed ratio respondendi, & decidendi eſt, quod verba *ex hiſ tantummodo cauſis*, ita ſint intellegenda, ne liceat ex quibuscunq; levioribus cauſis donationem revocare: Eluſoria enim eſſent verba Imperatoris, ſi ex iis tantum, non vero ex gravioribus cauſis donationem revocare liceret.

C A P. I X.

EX ſupraſcriptis cauſis revocandi facultas, ſoli donatori non autem heredi competit, nec in heredes, *l. 1. 7. ult. C. d. rev. don.* quia eſt ſpecies actionis injuriam, & vindictam perfequitur, quæ continent poenam, adeoque non extendenda ultra ſuum autorem, nec eum qui injuriam paſſus eſt *d. l. 7. l. 15. §. 1. ff. ſoluit. marr.* niſi evidenter appareat donatorem revocare voluntatem. *l. 32. §. 4. ff. de don. int. vir. & uxor.* veluti ſi per litis confeſtationem, aliudve mentis indicium donator ſe ad revocationem præparaverit. *l. 6. §. ult. ff. d. inoff. teſtam.* Si clauſula de non revocando ob ingratitudinem donationi ſit adjecta, an revocatio exinde pothe removeti? Ne go, quia hujusmodi pacta ſunt contra bonos mores, quæ minime ſunt fervanda, *l. 27. §. 4. 5. d. paſt.* De donatore, qui omnia bona ſua, maximamve partem eorum, in aliquem contulit, quæſitum eſt, An a donatario ali debeat?

Putant

Putant hoc Accursius, Baldus, aliquis, idque præcipue probare conantur per l. 8. ff. de Decurionib. cujus verba sunt, quod permisum sit, alimenta de publico decerni decurionibus, facultatibus lapsis, maxime si, ob munificentiam in patriam, patrimonium exhauserint. Sed Dissentientium sententiam veriorem, & juri magis consentaneam esse puto, quia decurionibus hic privilegio personali, non quia patriæ donarunt, id tributum est, sed quia decuriones sunt; quod & exinde colligere est, quod, etiamsi nihil donaverint, tamen illis alimenta decernuntur, & quamvis omnia bona donarint, non nisi decuriones sint, illis alimenta tribuuntur; Ubi autem personæ conditio locum facit beneficio, ibi quoque, deficiente ea, beneficium deficit, teste Paulo in l. 68. d. R. f. Præterea dicitur in dictâ lege alimenta, Decurionibus facultatibus lapsis, decerni permisum esse, non vero deberi.

C A P. X.

Sed antequam huic disputationi finem imponam, videbimus, an ob supervenientem nativitatem liberorum, donatio omnium bonorum maximaye eorum pars, sive liberto, sive cuicunque alteri facta, revocari possit? Et puto procul ullo dubio, in solo patrono donatore, & liberto donatario, hanc donationis revocationem locum habere. Cur enim in l. 8. C. de revoc. don. nullius nisi patroni, & liberti mentionem faciunt Imperatores, nisi quod significare velint, hanc legem esse Edictalem, adeoque non ad alios casus esse extendendam. Quam multa enim singularia in liberto sint, qui pro inestimabili libertate, non solum honorem, reverentiam, obsequia, operas, sed & alimenta patronis liberisque ejus facultatibus lapsis, præstare tenetur; l. 5. §. 18. ff. dagnosc. & alend. liber. (quod secus esse in donataris extraneo, capite præcedenti probavimus) operæ pretium non est, enumerare: quoties enim lex de certis

111 DISPUTATIO JURIDICA INAUG.

personis loquitur, quibus aliquid beneficii tribuitur, certum est eam legem ad alias personas non pertinere, l. 21. ff. d. test. milit. l. 64. §. pen. ff. solui. matr. Nec obstat huic sententiae l. 30. C. de fideicom. quia loquitur de donatione in ultima voluntate facta, & quia voluntates testantium in testamentis plenius interpretantur. l. 12. de R. f. neque l. 102. de cond. & demonst. quae ex praecedenti est explicanda,

C O R O L L A R I A.

I.
*H*ereditas viventis, sicut venditionem non recipit, ita nec donationem.

II.
Exceptio non numerata pecunia post biennium opponi neque, etiamsi debitor presumus onus probandi in se suscipere velit.

III.
*D*olus dans causam contractui bona fidei facit contractum ipso ja-re nullum.

IV.
*C*ommunis error non facit jus.

V.
*J*us accrescendi pertinet ad venditorem, non vero ad emp-torem hereditatis.

FINIS